

pro libidine vivere; » iudicans noxias esse opes, nisi adhi animus iis superior, qui possit earum usum, non ex copia, sed ex necessitate moderari. Ita Plutarchus in *Lacon*.

Huic expositioni valde congruit id quod sequitur: « Cor hominis, » etc.

Mystice, Lutherus, Calvinus cæterique hæretici oderunt paupertatem Evangelicam, eamque velut supersticiosam condemnant, quia hæretici impieque sunt; cupiunt enim libere vivere, ac ventri et veneri indulgere.

31. COR HOMINIS IMMUTAT (Syrus, *alterat*) FACIEM ILLIUS, SIVE IN BONA, SIVE IN MALA, — puta sive ad hilaritatem et lætitiā, sive ad tristitiā et mœstitiā. Quam paulo ante vocavit *conscientiam*, eandem hic vocat *cor*; alludit enim ad physicam cordis in membra et faciem actionem et influxum, q. d. Cor bonum et sanum physice facit faciem bonam, id est succulentam, roseam, hilarem; ex adverso cor malum, et male sanum, facit faciem malam, id est macilentam, luridam, tristem: ita pariter, moraliter sive ethice, cor bonum, id est justum et sanctum, ideoque hilare et jucundum, facit faciem bonam, id est gravem, modestam, piā et sanctam, ideoque hilarem et jucundam. Ex adverso cor malum, id est iniquum et impium, ideoque perturbatum, anxium et triste, facit faciem sibi similem, scilicet malam, id est iniquam, incompositam, dissolutam, ideoque perturbatam, anxiam et tristem. Cor enim omnes suas passiones et affectiones transmittit in reliquum corpus, sed præsertim in faciem. Nam, ut ait Jansenius: Et si vultus volvi possit varieque fingi, tamen plerumque est index animi, in quo expressa sunt signa iracundiæ, clementiæ, hilaritatis et tristitiæ; item signa conscientiæ, ac timoris et verecundiæ.

Docet ergo Siracides veras opes et paupertatem, non tam consistere in rerum copia vel inopia, quam in cordis bonitate vel malitia, ut ille sit dives et fortunatus, qui bonum habet cor et conscientiam, quæ totum corpus, ac præsertim faciem facit bonam et hilarem, in eaque se ostendit, et ab omnibus cernitur; ille vero sit pauper et miser, qui malum habet cor et conscientiam, quæ se in totum corpus, sed præsertim in faciem diffundit, eamque efficit tetram, confusam, turbidam, anxiam, tristem. « Igitur cor, ait Palacius, est, quod tristitiā aut lætitiā etiam usque ad faciem emittit. Cor piū lætitiā et velut pietatem in faciem transfundit; cor impium impietatem etiam in facie demonstrat. Si igitur vis esse felix, cordis sit tibi cura prima. Collige hinc faciem esse vestigium cordis, vehiculum animæ, lucem præcordiorum, et, ut S. Hieronymus dixit, speculum mentis. »

Unde illud Senecæ in *Hercule Oetæo*, act. 2 :

Licet ipsa neget,
Vultus loquitur quodcumque tegit.

Et illud Ovidii II *Metamorph.* :

Heu, quam difficile est crimen non prodere vultu.

Hoc est quod ait Isaias cap. III, 9 : « Agnitio vultus eorum respondet eis. »

Præclare Cicero, lib. III *De Orat.* : « Omnis, inquit, motus animi suum quemdam a natura habet vultum, et sonum, et gestum. Animi imago vultus est, indices oculi; nam hæc est una pars corporis, quæ, quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit efficere. Oculi enim sunt quorum tum intentione, tum coniectu, tum hilaritate motus animorum significemus. Nam oculos natura nobis, ut equo et leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. » Et *De Petit. consul.* : « Vultus, inquit, ac frons animi est janua, quæ significat voluntatem abditam ac retrusam. » Moraliter, quantum bonum, et quanta felicitas sit bonæ conscientiæ, ac quanta infelicitas malæ et perversæ, multis ostendi I *Joan.* II, vers. 4, et cap. III, vers. 31. Græca nonnulla, ut Complutenses addunt, καὶ ὀφθαλμοὶ πρόσωπον ἐν τέρπει καρδίᾳ ἐλλογουσα, id est, et bonum reddit vultum in delectatione cor virens et virens; juxta illud *Prov.* XVII, 22 : « Spiritus tristis exsiccet ossa : animus vero gaudens ætatem floridam facit. »

32. VESTIGIUM CORDIS BONI, ET FACIEM BONAM DIFFICILE INVENIES, ET CUM LABORE. — Græce, *vestigium cordis in bonis* (alii vertunt, *in rebus secundis*) est *vultus hilaris*; et *inventio parabolæ cogitatio*, vel, ut Romana, *cogitationes cum labore*, q. d. Signum, quod cor sit in bonis, id est in rebus prosperis, hilare et lætum, est vultus hilaris, ut jardi dixi; signum vero cordis occupati, et molesta parabolæ scrutatione afflictivi, est cogitatio laboriosa, quæ se vultu meditabundo, severo et tristi prodit. Unde et Latini nonnulli codices post *faciem bonam*, addunt, et *inventioem parabolæ*, itaque legendum censet Jansenius, ut Latinus respondeat Græco, sensumque esse, q. d. Invenies difficile et cum labore vestigium cordis boni, hoc est faciem bonam, et inventionem parabolæ, id est absconditarum sententiarum, quia utrumque non nisi exercitio virtutis et studii obtinetur, hoc est, nec virtus quæ sola solide lætificat, nec sapientia quæ mentem illuminat et exhilarat, sine labore paratur. Favet versio Tigurina, *vestigium cordis rebus secundis est vultus hilaris*; alioqui *recondita deprehendere laboriosa cogitationis est*; aliter Syrus, *vestigium cordis boni facies clara* (lucida), et *pluralitas narrationum conscientia peccatorum*, q. d. Qui sibi conscius est peccati, multa fabulatur et narrat, ut peccatum tegat dissimuletque, libertatem vero præ se ferat, et lætitiā bonæ conscientiæ simulet.

Nostræ Latine versionis hic est sensus: *Vestigium cordis boni* per appositionem vocat *faciem bonam*: ex hac enim quasi ex certo vestigio licet *vestigare cordis bonitatem*; quare copula et de

more sumitur pro *id est*, ut sensus sit, q. d. *Vestigium cordis boni*, id est, *faciem bonam*, quam jam commendavi, puta hominem, qui ex conscientiæ tranquillitæ, patientiæ et lætitiæ semper sit bono, id est placido, sereno, nitido et hilari vultu, difficile est invenire, tum quia pauci sunt boni et sancti; tum quia etiam sancti facile incidunt in peccata venialia et cordis perturbationes, ut impatientiam, iram, mœstitiā, quæ faciem malam, id est iratam vel tristem, internæ iræ, vel tristitiæ indicem efficiunt; tum quia aliquando mali, qui malo sunt corde, præ se ferunt faciem bonam et hilarem, ut internam cordis malitiam tegant et

dissimulent, uti Joab hilarem vultum ostendit Abner et Amasæ, cum eos fraudulenter occidit, II *Reg.* III, 27, et cap. XX, 9. Ex adverso Esther, cap. XV, præ se ferens hilarem vultum, textit et dissimulavit internum cordis dolorem et pavorem. Ita Rabanus.

Faciem ergo bonam intellige constanter jugiterque bonam, id est serenam et hilarem; hanc enim difficile est invenire. Exemplum est in S. Antonio, qui, ut scribit S. Athanasius, jugiter erat vultu læto, adeo ut ex eo solo unus ipse inter tot millia monachorum agnosceretur ab iis qui eum non norant, nec viderant.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet quis sit beatus, nimirum eum qui cavet ne verbo aut facto labatur, quique sibi et aliis est beneficus.

Unde multis insectatur sordes avaritiæ. Secundo, vers. 12, ad hanc justitiā et beneficentiam exstimulat per memoriam mortis instantis. Quare tertio, vers. 22, beatum ita definit et circumscibit: Beatus vir, qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei.

1. Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti. 2. Felix, qui non habuit animi sui tristitiā, et non excidit a spe sua. 3. Viro cupido et tenaci sine ratione est substantia, et homini livido ad quid aurum? 4. Qui acervat ex animo suo injuste, aliis congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur. 5. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? et non jucundabitur in bonis suis. 6. Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, et hæc redditio est malitiæ illius: 7. et si bene fecerit, igno-
ranter, et non volens facit: et in novissimo manifestat malitiam suam. 8. Nequam est oculus lividi: et avertens faciem suam, et despiciens animam suam. 9. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam. 10. Oculus malus ad mala: et non satiabitur pane, sed indigens et in tristitia erit super mensam suam. 11. Fili, si habes, benefac tecum, et Deo dignas oblationes offer. 12. Memor este quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi: testamentum enim hujus mundi, morte morietur. 13. Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigenes da pauperi. 14. Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat. 15. Nonne aliis relinques dolores et labores tuos in divisione sortis? 16. Da, et accipe, et justifica animam tuam. 17. Ante obitum tuum operare justitiā: quoniam non est apud inferos invenire cibum. 18. Omnis caro sicut fœnum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi. 19. Alia generantur, et alia dejiciuntur: sic generatio carnis et sanguinis, alia finitur, et alia nascitur. 20. Omne opus corruptibile in fine deficiet: et qui illud operatur, ibit cum illo. 21. Et omne opus electum justificabitur: et qui operatur illud, honorabitur in illo. 22. Beatus vir, qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei. 23. Qui excogitat vias illius in corde suo, et in abscon-

ditis suis intelligens, vadens post illam quasi investigator, et in viis illius consistens : 24. qui respicit per fenestras illius, et in januis illius audiens : 25. qui requiescit juxta locum illius, et in parietibus illius figens palum, statuet casulam suam ad manus illius, et requiescent in casula illius bona per ævum : 26. statuet filios suos sub tegmine illius, et sub ramis ejus morabitur : 27. protegetur sub tegmine illius a fervore, et in gloria ejus requiescet.

PRIMA PARS CAPITIS.

1. BEATUS VIR, QUI NON EST LAPsus VERBO EX ORE SUO, ET NON EST STIMULATUS (Græce κατενύγη, id est pungitur, compungitur) IN TRISTITIA DELICTI. — Docuit capite præcedenti divitias et amicitiam divitum non beare pauperes; unde congrue hic subjungit quid vere hominem efficiat beatum, docetque tria esse quæ id præsent, nimirum innocentiam, beneficentiam et justitiam. Innocentiam, qua quis in omnibus dictis et factis ita est cautus et circumspectus, ut nusquam labatur; beneficentiam, qua quis suis opibus utitur ad suum et aliorum bonum; justitiam, qua quis juste vivit, et jus tam Deo quam proximis debitum tribuit. Respicit ad vers. 30 capitis præcedentis: cum illo enim hic versus apte cohæret, eumque explicat. Quod enim ibi dixit: « Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia; » hic clarius explicat, dicens: « Beatus vir, qui non est stimulatus in tristitia delicti, » id est ob admissum delictum aliquod gravius, quo inquiritur et compungitur conscientia. Quod vero ibi dixit: « Et nequissima paupertas in ore impii, » quia scilicet ob paupertatem murmurat, hic idem clare dicit: « Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, » ut scilicet in paupertate existens Deo aut divitibus obmurmurans, proferret verba impatientiæ, maledicæ, falsa, iracunda, etc. Igitur hæc sententia licet generalis sit, et omnia delicta verborum et operum spectet, profertur tamen occasione opum et paupertatis, q. d. Beatus vir qui non est lapsus verbo, ut ob paupertatem proferret verba murmuris, detractionis, blasphemiarum, etc.; beatus item qui non est stimulatus in tristitia delicti, ut scilicet non commiserit delictum avaritiæ, quo opes male pepererit, aut male dispensarit, quod animum et conscientiam ejus morderet, ac tristitia afficeret, stimulare et compungeret. De avaritia enim omnis sequens est sermo.

Nota: Pro ὄνειδος, id est tristitia, Complutenses legunt πλεθερῶν, id est multitudine delicti; nam nemo est in hac vita, qui aliquando delictum aliquod non committat; sed beatus est ille qui pauca et parva duntaxat admittit, miser vero qui multa et gravia.

Rursum tristitia delicti est duplex. Prior est penitentia et dolor de peccato præterito: hæc pia et sancta est, ideoque peccatores facit jus-

tum et beatum. Nam, ut ait Apostolus II Cor. vii, 10: « Quæ secundum Deum tristitia est, penitentiam in salutem stabilem operatur. » Altera tristitia est de peccato non præterito, sed præsentem, cum scilicet peccator suis usuris et opibus, vel deliciis male partis ita adhæret, iisque ita amore affixus est, ut nolit eas dimittere; tristatur tamen et dolet quod in ea re animam suam lædat, eamque vindictæ ac gehennæ ream efficiat.

Utraque tristitia hic accipi potest: licet enim prior sancta et beata sit, tamen infelicitatem adjunctam habet, quia peccatum, licet penitentia deletum sit quoad culpam, magnam tamen pœnarum catenam post se relinquit, ut infamiam, damna fortunarum, virtutum et gratiarum; denique ipsum peccasse aliquando, magna infelicitas est. Sensus ergo est, q. d. Beatus est qui nullius præsentis peccati, de quo tristetur, sibi est conscius; beator vero est, qui nullius etiam præteriti gravius de quo doleat, sibi est conscius; beatissimus denique est, qui ita sedulo etiam minima delicta cavet, ut nullius etiam venialis deliberate admissi culpa eum remordeat. In prima classe sunt omnes justi et sancti; in secunda repone S. Job, dicentem cap. xxvii, 6: « Neque reprehendis me cor meum in vita mea; » et Ezechiam dicentem: « Memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te, fecerim. » Quin et David antequam in crimina causa Bethsabæ incidisset, dicebat fidens non semel: « Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem injustam, » etc. Psalm. c, vers. 2; et: « Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: sine iniquitate cucurri, et direxi, » Psalm. lvi, 5. In tertia classe primas tenet B. Virgo, secundas uterque S. Joannes Baptista et Evangelista, S. Joseph et similes; imo S. Bonaventura adeo innocentis fuit vitæ, ut de eo dixerit Alexander Alensis: « Hic est verus Israelita, in quo videtur Adam non peccasse. »

Quocirca Tigurina clare et universaliter veritatem, beatus vir qui lapsus ore suo non est, nec morosa peccati cruciatur; alii, nec compungitur dolore peccati; Syrus, beatus vir quem non pervertit cor ejus, et non est absconditum judicium ab oculis ejus.

Isidorus Pelusiota, lib. IV, epist. 101, legit: « Beatus qui non est compunctus in conscientia delicti, » sicque explicat: non quod nunquam peccavit: omnes enim pœnis obnoxii sumus; aut quod nunquam tristatus sit, sed, q. d. Beatus est qui non est in stuporem datus a mœrore, neque suam salutem prædidit, id quod Judæ accidit, qui suspensio sibi vitam eripuit. Sic Deus dedit Judæis spiritum compunctionis, id est stuporis, insensibilitatis, obdurationis, pertinaciæ, de quo dixi Rom. xi, 8. Ita Isidorus.

Moraliter, disce hic quam facilis sit lapsus et antalubricitas linguæ. Quocirca Abbas Sisois per ginta annos non aliud precabatur, quam: « Domine Jesu Christe, protege me a lingua mea. Et usque nunc, inquit, per singulos diés corruo per ipsam, et delinquo. » Addebatque: « Peregrinatio nostra est, ut teneat homo os suum; » Abbas vero Hyperichius: « Qui linguam non retinet, inquit, nec passionum retentor erit. » Ita refertur in Vitis Patrum, lib. V, libello 4 De Continentia, num. 39, 44 et 49. Et num. 1, recensetur dictum Abbatis Antonii: « Linguam non continens, est stabulum sine janua. » Memorabilis fuit Abbas Pambo, qui moriens palam professus est: « In hanc horam non me penitet alicujus sermonis quem dixerim; et sic ad Deum recedo, ut qui nec pius quidem ac religiosus esse cœperim. » Ita Palladius in Lausiaca, cap. x, qui et de eo addit, « quod interrogatus de re aliqua nunquam statim responderit, sed dixerit: Nondum inveni quod respondeam. Tam considerate ex Deo dabat responsa, ut a Deo cum omni metu omnes acciperent. Dicebatur etiam hanc virtutem super magnum etiam Antonium et super omnes sanctos exercuisse, nempe ut esset in loquendo accuratus et perfectus. » Porro S. Jacobus in Epist. cap. iii, 2: « Si quis in verbo non offendit, inquit, hic perfectus est. » Vide ibi dicta. Vice versa S. Petrus unum verbi lapsum: « Non novi hunc hominem, » puta Christum, a se prolatum doluit, luxit et flevit per omnem vitam. Audi Isidorum Pelusiotam, lib. I, epist. 439: « Charitatis tuæ questio ad hunc modum explicari potest: Beatus vir qui non est lapsus in lingua sua, hoc est: Beatus est ille, qui nec verborum obscenitate ac turpitudine linguam suam commaculavit, nec cuiquam offensionis ansam per contumeliam præbuit. Et non est stimulatus in tristitia delicti, nimirum, vel penitentia ductus ob ea quæ inhoneste ac fœde locutus est, vel quod aliquem contumeliosis verbis offenderit, at propterea dolore atque animi compunctione opus habuerit. Optabilior est enim lapsus a pavimento quam a lingua. Multi quippe, cum cecidissent, resurrexerunt; ob prolatum autem sermonem interierunt. » Lyranus aliter accipit tristitiam delicti, scilicet pro tristitia nimie taciturnitatis, quæ est delictum: sic enim priori hemistichio, inquit, taxavit nimiam loquacitatem, qua quis labitur verbo: sic

hoc posteriore taxat vitiosam taciturnitatem, qua quis tacet illud quod dicere tenetur. Dicitur enim delictum quasi derelictam, per quod intelligitur peccatum omissionis, tacendo quod debet dici, de quo debet homo per penitentiam tritari. Hæc Lyranus, verum subtilius quam solidius. Græce enim est ὑμάρτιων, id est peccatorum, quæ tam commissionis sunt, quam omissionis.

2. FELIX QUI NON HABUIT ANIMI SUI TRISTITIAM, ET NON EXCIDIT A SPE SUA. — Primo, Rabanus, Lyranus, Palacius et alii accipiunt hæc generatim de qualibet tristitia; hæc enim facit hominem melancholicum, mœstum et miserum. Unde Ecclesiastes, cap. iii, vers. 12, quo hic alludit Ecclesiasticus: « Cognovi, inquit, quod non esset melius nisi lætari, et facere bene in vita sua, » q. d. Beatitudo hujus vitæ sita est in bene agendo et lætando; ac posterius sequitur ex priori: qui enim bene agit, semper est lætus. Unde Rabanus sic explicat: « Felix, inquit, qui in præsentis vitæ adversitatibus non contristatur, sed agonem suum Domino commendat, sperans ab ipso in futura vita mercedem laboris sui. » Et Lyranus: Excludit, inquit, acediam, quæ est impedimentum virtutis et servitii divini, redditque hominem tristem et ponderosum ad opera bona, per quæ quis oratur ad Deum, q. d. Felix est qui non habuit animi sui tristitiam, scilicet in bonis operibus exsequendis, et non excidit a spe sua, quæ est certa expectatio beatitudinis, a qua spe facit acedia decidere.

Egregie tristitiæ malum pingit S. Chrysostomus epist. 7 ad Olympiadem: « Tristitia, inquit, animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis, et judicium omni judicio vindictaque detrius; nam et vermi similis est venenato, non solum carnem, sed et animam ipsam perimens; et finea, non solum ad ossa, sed ad corda pertinens; et perpetuus quidam carnifex, non animam dilanians, sed vires animæ consumens; et jugis nox, et tenebræ profundæ, et tempestas, et turbo; febris non apparens, omni igne validius incens; et pugna requiem non habens; et languor plurimos obscurans videntium: non enim noctis tenebræ tales sunt, qualis nox mœroris existit, non quidem veniens ex lege naturæ, sed ex cogitationum obscuritate collecta, faciem omni tyranno crudeliorem præferens, nulli facile obtemperans eorum qui eam dissolvere moliantur. »

Secundo, alii per tristitiam accipiunt diffidentiam, spei, de qua sequitur, oppositam, sicque prius hemistichium posteriori plane congruit. Unde Tigurina vertit, beatus qui non despondet animum, et spe sua in Domino sita non excidit; et Glossa interlinealis, felix qui non h. s. vitæ animi sui tristitiam, id est, inquit, qui in adversitate animo non frangitur, ut despondat; et non excidit a spe sua, id est, ab operibus bonis, pro quibus speranda sunt æterna præmia.

Ratio a priori est, quod tristitia sit causa diffi-

dentiae, diffidentia desperationis. Audi S. Gregorium XXXI *Moral.* 17 : « De tristitia, inquit, malitia, rancor, pusillanimitas desperatio, torpor circa praecepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. » Et D. Thomas, II II, *Quaest.* 20, art. 4, indagans causam desperationis : « Ad hoc, inquit, quod aliquis bonum arduum non aestimet ut possibile sibi adipisci per se, vel per alium, perducitur ex nimia dejectione; quae quando in affectu hominis dominatur, videtur ei quod nunquam possit ad aliquod bonum relevari; et quia acedia est tristitia quaedam dejectiva spiritus, ideo per hunc modum desperatio ex acedia generatur. » Haec D. Thomas. Est enim tristitia velut pelagus quoddam, in quod si quis incidat, absorbetur, ita ut portum invenire desperet. Sic S. Paulus, II *Cor.* II, 6, 7 : « Sufficit illi, ait, qui ejusmodi est, objurgatio haec quae fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeat. »

Tertio, Graeca sic habent, *beatus quem non condemnavit anima sua, et qui non cecidit a spe sua, quae est in Domino*; et Syrus, *beatus vir quem non condemnavit anima sua, et non irrita fuerunt omnia opera ejus*. Graeco et Syro ergo adaptanda est nostra Latina versio, hoc modo, *beatus qui non habuit animam suam tristitiam, scilicet delicti, vel de delicto, uti dixit vers. 1: ad illum enim se refert. Repetit enim et confirmat id quod ibidem dixit, q. d. Beatus et felix, adeoque terque quaterque beatus est, quem non condemnat anima, nec de delicto aliquo graviore contristat, remordet, angit et affligit; ideoque non excidit a spe sua quam habet in Domino, quod scilicet beatitudine et gloria aeterna eum donabit: hanc enim promissis qui se a delictis puros sanctosque conservant.*

Ubi nota : *non excidit a spe sua* dupliciter accipi potest : primo, ut sit effectus ejus quod praecessit, q. d. Beatus qui delicti sibi, ob quod tristetur, non est conscius; merces enim et effectus hujus suae custodiae et innocentiae erit, quod non excidat a spe sua, sed gloriam speratam et innocentibus promissam certo adipiscetur. Sic spes sumitur metonymice pro re et gloria sperata; secundo, proprie, q. d. Beatus quem non condemnat anima de peccato, ideoque non excidit a spe, id est, non perdidit spem, non desperat de salute. Unde Lucius Papa, *epist.* 1, pro *non excidit a spe*, legit, *non abscedit a spe*. Nam, ut ait S. Augustinus, praefat. in *Psal.* xxxi : « Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. Et erunt tria haec de quibus dixit Apostolus I *Corinth.* XIII : Fides, spes, charitas. Et alio loco ipsa tria : Finis, inquit, praecipit est charitas, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta; sed pro spe conscientiam posuit. Ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit; quem vero pungit mala conscientia, retrahit a spe, et non sibi sperat nisi damnatio-

nem : ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam; et ut habeat bonam conscientiam, credat et operetur : quia quod credit, fidei est; quod operatur, charitatis. »

Moraliter nota idem esse : « Felix qui non habuit animi sui tristitiam; » et : « Beatus quem non condemnat anima sua, » ut habet Graecus, quia scilicet ille solus veram habet tristitiam, quem anima de peccato condemnat. Nam, ut docet S. Chrysostomus homil. 3 *ad Popul.*, et Cassianus, lib. IX *De Instit. renunt.* cap. x, de nulla re alia tristandum est, nisi tantum de peccato, et ob hoc abolendum duntaxat a natura et Deo nobis inditus est tristitiae affectus. Caeterae enim res omnes bonae sunt; peccatum vero purum putum malum est, quod omnium et aeternorum malorum est causa. Verba S. Chrysostomi et Cassiani recitavi II *Cor.* VII, vers. 9 et 10.

Et hac ratione tres expositiones jam data eodem recidunt, significantque beatum esse qui non peccat; in hunc enim cadere nequit tristitia nec desperatio, ut a spe et laetitia excidat. Vis ergo semper gaudere? semper bene agito; vis semper esse in leta spe salutis? semper bonam habeto conscientiam, uti paulo ante dixi ex Ecclesiaste. Vide S. Bernardum *De Interiori domo*, cap. XLV : « Vis, inquit, nunquam esse tristis? Bene vive. Bona vita semper gaudium habet, conscientia rei semper in poena est. » Haec ergo sunt tres fidelium charites, quae quasi sorores ubique se comitantur, ut ubi una est, ibi sint et reliquae duae, nimirum innocentia sive sanctitas, laetitia et spes; sicut ex adverso tres furiae sunt, peccatum sive mala conscientia, tristitia et desperatio, quae se invicem comitantur, ut ubi est mala conscientia, ibi sit et tristitia ac desperatio.

Rursum nota beatum dici, qui non excidit a spe, id est, qui habet retinetque spem. Spes ergo est beatitudo hujus vitae, tum quia in hac vita non habemus rem, puta gloriam, sed ejus spem; tum quia haec spes ducit ad gloriam, unde ait Apostolus : « Spe enim salvi facti sumus, » *Rom.* 8, 24. Et Psaltes, *Psal.* II, vers. 13 : « Beati omnes qui confidunt in eo. » Rursum Apostolus *Hebr.* X, 35 : « Nolite, inquit, amittere confidentiam, quae magnam habet remunerationem. » Et *Proverb.* XVI, 20 : « Qui sperat in Domino, beatus est. » Hoc est quod ait S. Joannes, *epist.* I, cap. III, 21, 22 : « Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum : quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quae sunt placita coram eo, facimus. »

3. VIRO CUPIDO ET TENACI SINE RATIONE EST SUBSTANTIA, ET HOMINI LIVIDO, AD QUID AURUM? — q. d. Avarus frustra habet opes, cum eis non utatur, et homo lividus, id est invidus, puta avarus, frustra habet aurum, quia illud in arca recondit et sepelit. Avarum vocat invidum, quia ipse ut opes integras, earumque dominium sibi conservet,

earumdem usum et fructum aliis invidet. Unde videmus avaros in mensa livore et dolore affici et affligi, si v. g. ex caseo rariore et pretiosiore conviva aliquis majorem, quam ejus tenacitas patiatur, partem praescindat. Ita enim hoc sentit et affligitur, ac si tantumdem ex corpore et carne ejus praescinderes, quia scilicet hoc praescindis ex ejus avaritia, illique hoc adimis, quam ita sibi incorporavit, ut ipsa videatur esse ejus anima et vita.

Apposite a beato qui spem reponit in Deo, per antithesin descendit ad avarum, qui spem reponit in mammona et auro, q. d. Beatus qui cavens a peccato servit Deo, in eoque spem reponit : quare beatus non est avarus, qui servit speratque in auro, non in Deo. Totum enim hoc caput est avarorum et avaritiae exagitatio. Graeca majorem habent emphasim *ἄνθρωποι μερολόγησεν οὐ καλὸς ὁ πλοῦτος, καὶ ἄνθρωποι βασάνων εἰσι τὰ χρήματα*, id est, ut Romana, *viro minute rationes subducenti* (parco, sordido) *non est pulchra substantia, et homini livido ad quid pecunia?* q. d. Parcum et avarum non decet, non congruit, non ornat substantia; quia nescit ea uti, nec tam illam possidet, quam ab illa possidetur : unde vere eam non habet, sed habet eam arca aut terra in quam eam defodit; et homini avaritia livido quo fine et fructu *χρήματα*, id est opes? q. d. Nullo : *χρήματα* enim graece dicuntur a *χρησθαι*, id est, ab utendo, quod eis ad suum aliorumve usum et commodum utendum sit; sicut opes latine dicuntur ab ope et opitundo, quod opitulentur et opem ferant indigentiae propriae et alienae. Avaro ergo *χρήματα* non sunt *χρήματα*, sed *ἀχρηστα*, quia non sunt usui, sed otio et abusui; nec sunt opes, sed mentis inopia, quia eis ad suam aliorumque opem uti non audent : unde earum est inops, perinde ac si eas non haberet. Avaro enim tam deest quod habet, quam quod non habet. Eidem substantia non est substantia, quia neminem subsistere facit, nullius vitam sustentat. Bonum est sui diffusivum. Si avarus opes non diffundit, facit ut bona quae habet, bona non sint. Quocirca Tigurina vertit, *viro sordido non sunt ornamento divitiae, et quorsum pecuniae homini invidio?* Pecunia enim dicitur a peccore, quod ovis vel bovis imagine insculpta olim fuerit : pecus autem omne homini servit, vel pro eo arando, vel eum sua carne pascendo, vel sua lana et pelle vestiendo, etc. unde et *jumentum* dicitur, quod hominem juvet. Pecunia ergo avari frustra pecore insculpitur, cum nullum juvet, ac proinde vere pecunia illi non est. Quocirca Comicus avaros vocat mulos et asinos, qui aurum dorso gestant, eoque onerantur, sed eo non fruuntur. Alii, *virum sordidum non decet divitiae, et homini avaro quorsum pecunia?* Syrus, *cordi parco non expediunt divitiae, et viro cuius pravus est oculus, non expedit pecunia.*

Antistropha hisce est sententia Senecae in *Proverbis*, littera A : « Avarus nisi cum moritur, nil

recte facit; » moriens enim relinquit opes aliis melius usuris. « Avarus ipse miseriae causa est suae. Avaro quid mali optes, nisi ut vivat diu? » Et littera P : « Pecuniae imperare oportet, non servire. Pecunia, si uti scias, ancilla est; si nescias, domina est. Pecunia non satiat avarum, sed irritat. Quae sunt maximae divitiae? non desiderare divitias. Quis plurimum habet? is qui minimum cupit. Inopiae pauca desunt, avaritiae omnia. » Et illa Biantis apud Laertium, lib. IV, cap. VII : « Avarus facultates suas non possidet, sed ipsum possident facultates. Avarus suarum rerum curam habet, quasi essent propriae : rursum ex iisdem nihil capit utilitatis, quasi essent alienae. » Et illa Democriti : « Avarus non possidet, sed possidetur a divitiis, quarum non tantum servus, sed et mancipium est. » Ita Maximus, *serm.* 12. Haec enim sunt Ethicae naturalis dogmata, quae tum a lumine naturae, tum a Salomone et Siracide didicerunt Plato et Philosophi.

Nota : Avarus recte vocatur *lividus*, id est invidus, et avaritia invidia, quia ita avarum arcat curis, et dolore exedit ac emaciat, ut eum non tantum animo, sed et corpore vultuque lividum et pallidum efficiat, quin et livorem palloremque hunc auro, ut ita dicam, afflet. Unde Philosophus rogatus, « cur aurum palleret, » respondit : « Praemetu, quia omnes ei insidiantur. » Avarus ergo pallet ex invidia, aurum ex metu, sed invidia avari hujus metus est causa. Livido ergo ad quid aurum? nisi ut illud sibi simile lividum, luridum pallidumque efficiat. Praeclare Martialis, lib. I :

Omnibus invidias, livide, nemo tibi.

Et :

Ecce iterum nigros corrodit lividus unguis.

Et Ovidius, lib. III *De Ponto* :

Livor, iners vitium, mores non exit in altos,
Utque latens ima vipera serpit humo.

Idem, lib. I *De Rem. amor.*

Summa petit livor, perflant altissima venti,
Summa petunt dextra fulmina missa Jovis.

Moraliter est hic locus insignis de vanitate stulta avarorum, quam multis rationibus clare depingit et oculis spectandam subjicit Siracides. Prima est hoc versu, quod avari frustra habeant aurum, cum eo uti non audeant; secunda, vers. seq., quod aliis dissipaturis illud magno labore et angore congregent; tertia, vers. 5, quod sibi sint nequam et injurii, dum non audent jucundari et frui suis bonis; quarta, quod « si avarus benefecerit, ignoranter et non volens facit : et in novissimo manifestat malitiam suam; » quinta, vers. 9, quod avari cupiditate sit insatiabilis. Nec expleatur « donec consumat arefaciens animam suam; » sexta, vers. 10, quod non satiatur « pane, sed indi-

gens et in tristitia sit super mensam suam; » *septima*, vers. 12, quod cito morietur, cum ipse congreget opes quasi semper victurus; *octava*, vers. 17, quia se privat merito et mercede elemosynæ, dum in morte invitus cogitur opes relinquere hæredibus, sæpe obliviosis et ingratis; *nona*, vers. 21, quod privet se honore liberalitatis, et infamet se per probum avaritiæ; *decima*, vers. 23, quod privet se Dei beneficentia, tum in hac vita, tum in futura per omnem æternitatem: Deus enim beneficis est beneficus, avaris vero et maleficis avarus et maleficus.

Quocirca avari typus est avis monedula, ita dicta quod monetam, puta nummos, furetur et abscondat. unde Plinius, lib. X, cap. XXIX: « Insu- brium tractu, inquit, examina graculorum monedularumque, cui soli avi furacitas auri argen- tique præcipue mira est. » Et Cicero *Pro Flacco*: « Non plus aurum tibi, quam monedulæ commit- tebant. » Et Ovidius, lib. VII *Metamorph.*, fingit Arnen conversam in monedulam, quod auro corrupta Athenas hostibus prodidisset. Rursum avari sunt gryphes, qui, ut ait Cassiodorus, lib. IX *Variar.*, feruntur « aurum jugiter effodere, atque ejus inspectione gaudere. » Quocirca Dionysius Tyrannus, cum apud filium multa ex auro vasa invenisset, indignans: « In te, inquit, non est animus regius, qui his poculis, quæ a me tam multa accepisti, neminem tibi amicum feceris. » Ita Plutarchus, in *Apophtegmatibus regum*. Præ- clare S. Chrysostomus, homil. 2 ad *Popul.*: « Avarus, inquit, custos est, non dominus pecuniarum; servus, non possessor: facilius enim alicui de propriis carnibus, quam ex defosso auro com- municaret; a suis tanquam ab alienis abstinet, quippe sunt aliena: quæ enim aliis erogare nun- quam pateretur, neque in necessariis impendere, etiamsi infinitas suslineret pœnas, quomodo hæc esse propria putaret? » Idem, *hom.* 50: « Nullum, inquit, inde emolumentum, nullas opes conse- quuntur, sed periculo magno atque detrimento suo aliis laborant, nihil prorsus de sudore, de labore et morte, quam plerumque obeunt, ad fructum suum convertentes. »

4. QUI ACERVAT EX ANIMO SUO (id est, qui subtra- hit animo suo, id est, suo desiderio, suæ fami- liti sibi) INJUSTE, ALIIS CONGREGAT, ET IN BONIS IL- LIUS ALIUS LUXURIABITUR. — Græce *προφροσύνη*, id est delicia buntur, voluptuabuntur, luxu diffluent alii. Porro qui acervat ex animo, vel, ut græce est, *ex anima*, est qui animam suam et genium defraudat, parce et sordide vivendo, ut opes corradat: sic enim habent Græci, *οὐδὲν ἀπὸ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, οὐδέ- γινε ἀλλοίς*, id est, qui acervat ex anima sua, aliis as- servat; vel, qui congregat ex anima sua (id est, subtrahens animæ suæ), aliis congregat; Tigurina, qui defraudando genio suo, comparcat aliis; Syrus, qui sibi ipsi subtrahit, congregat aliis, et in bonis ejus letabitur extraneus. Nota: τὸ injuste non est in græco nec Syro, sed apposite additur; significat

enim avarum sibi esse injuriam, dum corpus suo jure, id est, alimonia, rebusque ad vitam neces- sariis, defraudat: quod subinde est peccatum, etiam mortale. Aliter explicat Palacius, *q. d.* Qui ex animo, id est ex affectu, acervandi acervat injuste, hic juste a Deo punietur, ut non sibi sed aliis acervet.

Est hæc secunda vanitas et stultitia, adeoque congrua avarorum pœna, eaque triplex. Nam primo, avarus usum opum subtrahit suæ animæ, itaque tortor et carnifex est animæ suæ, dum præ avaritiâ cogit eam sitire, escire, frigere, æstare, sudare: quod si hæc Dei causa subiret, multum utique apud eum mereretur; jam quia ob avari- tiam ea subit, adeo non meretur ut demereatur, ac novas hujus vitæ et futuræ pœnas sibi accersat. Secundo, avarus vult sibi congregare; at revera non sibi, sed aliis thesaurizat. Tertio, alii luxu- riose et prodige opes tanto labore et angore ab eo partas consument et dilapidabunt. Quod si id fiat eo vivente et vidente, uti non raro fit, utique hæc ingens ei est crux et afflictio.

Quocirca Democritus, teste Maximo, *serm.* 12, dicebat « avaros suarum opum non esse dominos, sed procuratores, » qui eas aliis usuris, imo abu- suris, curant et procurant. Diogenes in Anaxime- nem: « An non pudet, inquit, eum tam multa habere, qui seipsum non habet? » Avarus enim quasi extra seipsum est, quia cor habet in auro, mentem in ære, non in æthere. Ita Maximus ibi- dem. Additque Platonem dicere solitum, « eos qui corpus curarent, non rem quidem suam, sed seipsos curare: qui autem pecunias, neque seip- sos, neque sua, sed quam longissime a suis ab- esse. » Addit idem, Demosthenem, cum avarum vita functum ad sepulturam ferri videret, dixisse: « Iste cum vitam vitalem non vixerit, aliis vitam reliquit. » Lusit in voce Græca: *βλο*; enim et vitam et victum significat *q. d.* Hic avarus victu se frau- davit, ut hæredibus ex victu vitam relinqueret.

Memorable est quod scribit Hugo, Rhemis usu- rarium nummos suos anxie numerantem, ut vi- deret num omnes forent, ne quis quid ex eis de- cerpsisset, audisse vocem de nummis prodeun- tem: « Omnes hic sumus, sed cum Gualthero Bu- dello (id est asinario: *baudet* enim Gallis asinum significat) erimus: » ac paulo post defunctum, uxorem cum opibus reliquisse Gualthero, qui instar asini iisdem luxuriatus est.

5. QUI SIBI NEQUAM EST, CUI ALI BONUS, (id est commodus, utilis, beneficus) ERIT? ET NON JUCUN- DABITUR IN BONIS SUIS. — Græce, *ἡ ἀφροσύνη*, id est in pecuniis suis. Duplex hic est sensus. Prior, ait Palacius, *q. d.* « Qui sibi nequam, id est parvus, sordidus, avarus, injurius, maleficus est, cum non jucundetur, neque voluptatem capiat ex bonis suis, quomodo, jucunditatem aliis dabit, quam scilicet sibi negat? » Posterior est: « Qui sibi par- cus est, nulli largus erit, et in pœnam tantæ cul- pæ faciet Deus ne jucunditatem ille capiat ex bo-

nis suis, ut scilicet aut ea amittat; aut, si non amiserit, habeat in tormentum et curam, non in voluptatem aut remedium. » Priori sensui favet versio figurina, qui sibi malignus est, cui benignus sit, cum nihil jucundi de bonis suis percipiat? Posteri- ori favet Syriaca, qui malus est animæ suæ (id est sibi ipsi) cui benefacit? et non possidebit bona sua.

Tertia, est hæc vanitas et stultitia avarorum, quod sibi ipsis sint maligni et malefici, ideoque incapaces se faciunt ut in alios sint benigni et be- nefici: unde colligendum relinquit, quod avarus nullum bonum, nec honestum, nec utile, nec ju- cundum ex bonis suis percipiat, ac proinde frus- tra ea habeat, perinde ac si non haberet. Hoc ve- rum est in bonis temporalibus, sed verius in spi- ritualibus, juxta illud Christi: « Quid enim po- dest homini si universum mundum lucretur, ani- mæ vero suæ detrimentum patiatur? » *Matth.* XVI, 26. Quocirca sapienter S. Bernardus, lib. I *De Con- sider.*, monet Eugenium Pontificem, ut si alios cu- rare velit, prius se ipsum curet: « Si totus, ait, vis esse omnium instar illius, qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem; sed si plena sit, quomodo autem plena, te excluso? et tu homo es. Colligat ergo intra sinum suum: alioquin quid tibi prodest, juxta verbum Domini, si universum mundum lucretis, animæ vero tuæ detrimentum patiaris? Quamobrem cum omnes te habeant, isto etiam tu ex habentibus unus. Usquequo va- lens spiritus, et non rediens, sapientibus et insi- pientibus debitor es, et solum negas te tibi? Stul- tus et sapiens, servus et liber, pauper et dives, senex et juvenis, vir et femina, clericus et laicus, justus et impius, participant te; omnes de fonte publico bibunt pectore tuo, et tu seorsum sitiens stabis? si maledictus qui partem suam facit dete- riorum; quid ille qui se penitus reddit expertem? sane deriventur aquæ tuæ in plateas, homines et jumenta et pecora bibant ex eis, quin et camelis pueri Abrahæ potum tribuas; sed inter cæteros bibe, et tu de fonte putei tui. Alienus, inquit, non bibat ex eo. Numquid tu alienus? denique qui sibi nequam, cui bonus? Memento proinde, non dico semper, sed vel interdum, reddere te ipsum tibi. »

6. QUI SIBI INVIDET, NIHIL EST ILLO NEQUIUS, ET HÆC REDDITIO EST MALITIE ILLIUS, — *q. d.* Invidia nnis est mala, sed invidia qua quis propter avaritiam invidet sibi victum et vitam, est pes- ma, quia sibi ipsi necessaria vitæ subtrahit, ac proinde ipse sui lentus est homicida, imo parrici- da: pejus enim est seipsum quam alium, etiam fratrem vel cognatum, occidere; quisque enim ex charitate obligatur magis se quam alios dil- gere, ideoque magis suam quam aliorum vitam conservare. Porro hæc avara invidia non tantum ingens est culpa, sed et pœna sui ipsius. Hoc est quod ait: « Et hæc est redditio malitiæ illius, » *J. d.* Hæc est justa merces et castigatio avaritiæ, quæ sibi victum vitamque invidet et eripit, ut ipsa

seipsam fame, siti, frigore conficiat et interinat, ac proinde ipsa sui ipsius sit tortor et carnifex. Vere dixit Horatius, lib. I *epist.*:

Invidia Siculi non invenere tyranni
Tormentum majus.

Hoc maxime verum est in invidia avaritiæ, qua avarus seipsum torquet, cruciat et consumit. Unde Tigurina vertit, *invidente sibi ipsi nihil pejus est, hocque adeo ipsum est malignitatis jus præmium*; Syrus, *eo qui nequam est animæ suæ, non est peior, et ipse recipit retributionem malam*. Tales ergo si- miles sunt Timoni, qui adeo odere nomines, ut eorum morte et suspensio dum seipsos ex de- speratione suspendebant, gauderet: unde et *μυσοστυγματος*, id est, osor hominum, est cognomina- tus, quasi monstrum et probum humani gene- ris. Porro ipse Timon censuit duo esse elementa malorum omnium, avaritiam scilicet, et ambitio- nem, quia sicut ex elementis omnia corpora, sic ex his duobus cætera vitia generantur. *De Sto- bæus*, *serm.* 8 *De Injustitia*.

Rursum tales similes sunt Midæ regi Phrygiæ, qui immensas opes congestit, teste Herodoto et Justino, lib. XI; unde fertur petisse a Baccho, ut quidquid tangeret, verteretur in aurum. Ita fac- tum, sed in pœnam petentis avari: nam et cibi versi sunt in aurum, quod cum comedere nequi- ret, fame contabuit. Ita Ovidius, lib. IX *Metamorph.* Hanc miseram divitum vanitatem egregie depin- git Ecclesiastes, cap. VI, vers. 3 et 4: « Si... quis- piam... vixerit, inquit, multos annos, et plures dies ætatis habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat; de hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortivus. Frustra enim venit et pergit ad tenebras, et obli- vione delebitur nomen ejus. » Nempe « divitem avarum demonstrat, qui cum stultissima se par- citate crucians aliis devoranda conservet, ejusque anima cupiditate et avaritiâ contabescat, multo deterioris conditionis sit abortivo illo qui, statim ut natus est, interiit. Ille enim nec mala nec bona vidit; iste vero, cum bona possederit, semper tristi cogitatione excruciatum est, et tar en ambo æquali fine rapiuntur, » ait Rabanus.

7. ET SI BENEFECERIT, IGNORANTER ET NON VOLENS FACIT, ET IN NOVISSIMO MANIFESTAT MALITIAM SUAM. — Est occupatio: nam contra id quod dixit, avaro nihil esse nequius, quia non tantum aliis, sed et sibi est injurius, malignus et maleficus, objicit: Ecce videmus avaros aliquando aliis benefacere Respondet, id eos facere, vel ignoranter et im- prudenter, ita ut ignorent et nesciant se benefa- cere; vel certe nolenter et invite ex pudore et timore, cum livore et sordido animo id facere: unde livorem hunc et sordes tandem declarare vel verbis malignis, vel rugata fronte, vel gestu tristi, vel alio signo prodentes suam avaritiam, seque invite et coacte conferre vel contulisse be- neficium. Unde Tigurina vertit, *quod si bene quid*